

Domicilium, in Gallia determinatum est ad sex menses quoad eos, qui in alia Parochia ejusdem Diœcesis antea degabant, & ad annum quoad illos, qui in alia Diœcesi suam habuerunt Domicilium. Constitutio de anno 1697. determinat etiam tempus quoad Domicilium Minorum.

CASUS. Quale tempus requiritur ad aquirendum Domicilium in loco, ubi quis vult contrahere matrimonium?

ꝛ. Puella non censetur aliud habere Domicilium, quam matris. Domicilii locus is est, ubi quis jam per aliquot menses commoratus est, & etiamnum commoratur absque animo revertendi ad Domicilium, quod prius habuit. Declaratio Regis requirit annum, si quis ex alia Diœcesi venit, ut aquirat Domicilium & contrahere possit matrimonium. *Fromageau.*

NOTA. De Jure communi ad contrahendum matrimonium non requiritur Domicilium, sed sufficit quasi Domicilium, quod aquiritur primo habitationis momento cum intentione habitandi in loco per majorem anni partem.

Vide *Impedimentum Claudefinitatis.*

DOMINICÆ & FESTA.

1. *Dies Dominica* ab Ecclesia sabbato substituta est in honorem Resurrectionis Christi, quæ eo die contigit. Similiter *dies Festos* instituit Ecclesia ad celebrandum aliquod mysterium, aut ad colendum Deum in sanctis suis; & in hoc sensu de Festis hic sermo est.

2. Obligatio fidelium sanctificandi Dominicos festosque dies consistit in hoc, ut hisce diebus officio divino assistant, intersint concionibus ac catechesibus Parochorum suorum, ac ab omni opere servili abstineant; nisi ad hujusmodi opera eos impellat justa & urgens necessitas, seu privata seu publica, eaque absque scandalo possint exercere; aut eadem ab illis exigat pium Christianæ charitatis officium.

3. His ipsis diebus tribunalia curiæque forenses ab actibus judicialibus tenentur abstinere, ne fideles causis temporalibus distenti negligant actus religionis debitos, cultum scilicet Dei, curamque salutis propriæ.

4. Deplorari satis haud potest profanatio, qua Christiani dies Dominicos & festos agunt. Judæi sabbata sua summa exactitudine, imò non nunquam ad superstitionem usque observabant, ut pluribus in locis sacræ paginæ testantur. Christianorum vero alii dies hos sacros transigunt negotiis secularibus, deambulationibus, oblectationibus, ludis, choreis,

com-

computationibus, promiscui sexus conventiculis, aliisque libidinum illicitis. Alii absque necessitate operibus vacant servilibus, sicque in praxin deducunt perniciosissimam hanc propositionem: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Quæ doctrina ut nova & falsa proscripita est primo a Doctoribus Lovaniensibus anno 1653., dein confixa ac condemnata sub pœna excommunicationis ab Innocentio XI., ac demum a Conventu Cleri Gallicani anno 1700. sub hac censura: *Hæc propositio est scandalosa; ad violandas leges tum civiles tum ecclesiasticas viam aperit, ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda.*

NOTA. Spes erat, per reductionem Festorum plus religionis ac pietatis accessurum diebus Dominicis ac Festis retentis; sed utinam nil decederet: dum enim in Festis exauthoratis abstinentia ab opere servili etiamnum servatur ad scapulum usque, sublata obligatione audiendi Sacrum, remotisque concionibus ac catechesibus publicis a solutioris vitæ hominibus jam plus datur otio, dissolutioni, voluptati, gulæ, libidini ac vanitatibus sæculi; quæ major corruptela jam in ipsos dies Dominicos ac festos de præcepto sensum incipit irrepere. Principum ac Episcoporum est malo mederi.

CASUS I. Sofander diebus Dominicis & festis satis a se actum putat, si assistat Missæ; reliquum diei nulli omnino impendit exercitio pietatis, sed occupatur unice consalutationibus, deambulatione, lusu, aliisque rebus indifferentibus.

ꝛ. Hic agendi modus sine dubio omni reprehensione dignus est; maxime si Sofander sit persona in dignitate constituta, aut Paterfamilias, ratione pessimi exempli, quod præbet aliis. Peccaret quidem etiam homo mediocris conditionis, sed non ita graviter. *Pontas.*

CASUS II. Elias diebus Dominicis ac festis ordinarie non interest Concioni & Vesperis.

ꝛ. Non potest excusari ab omni peccato, si non fiat ex legitima causa, aut nisi hunc defectum compenset aliis operibus æquivalentibus, ac magis meritoriis. Concilia Remense, Mediolanense III. & plura alia obligant fideles, ut assistant vespertinis maxime officiis. Potest ergo dici, quod quis certo peccet non assistendo diebus sacris Concioni & Vesperis ex mera negligentia; & peccatum hoc ad minimum est veniale. Sic sentit Navarrus cum pluribus aliis Casuistis, etiam iis, qui in doctrina morum inter laxiores censentur. *Pontas.*

CASUS III. Christophulus auriga solet abire Aureliis die veneris, & advenire Parisiis die Dominica vespere.

ꝑ. Aurigæ, quibus abeundi dies pro utilitate publica est determinata ac fixa, absque peccato prosequuntur iter suum diebus Dominicis ac festis, dummodo assistant Missæ. Possunt etiam abire die Dominico aut festo ad conducendam personem, quæ urgetur necessitate itinerandi, idque absque ope aurigæ non posset. Sicut pia mater Ecclesia facile indulget infirmitatibus ac necessitatibus liberorum; ita & isti ipsius menti respondere, legibusque se conformare debent, quantum fieri potest. Sic si itineranti difficile accidit legere, saltem quantoque preces, actus patriæ, exercitium fidei, spei, & charitatis, & elevatio mentis ad Deum fieri poterunt. Pontas.

CASUS IV. Evaristus artifex, cum suscipiendum ipsi esset iter decem milliarium, id pergit die Dominico aut festo, ut aliis diebus possit incumbere labori.

ꝑ. Evaristus absque peccato hoc iter potest instituere, dummodo audiat Missam, & detur quædam necessitas, sic ut iter non possit commode differre in alium diem. Pontas.

CASUS V. Heribertus Dominus vel Judex vici cujusdam permittit certis diebus Dominicis & festis institui nundinas, choreas publicas, aut varia representari spectacula, prout antiqua id consuetudo ferebat.

ꝑ. Non potest excusari a peccato, maxime ratione chorearum ac spectaculorum. In Gallia pluribus iisque severissimis legibus cautum, ne nundinæ aut choreæ diebus Dominicis aut festis agantur. Patres, Doctores, insigniorisque notæ Theologi choreas inter promiscui sexus homines universim reprobant ut puritatis inimicas ac lascivias incentivas, quocumque tempore, sive publice sive privatim fiant. Pontas.

NOTA I. Choreæ publicæ ac solemnes comestiones reliquæ sunt paganis: principalis enim solemnitas Festorum, quæ pagani agebant in honorem falsorum Deorum suorum, aut in memoriam navitatis Principum suorum aut fundatorum civitatis, consistebat in eo, ut dies hos transigerent inter choreas ac epulas publicas; unde a Romanis dicebantur *Dies epulatae*. C. D.

NOTA 2. Si in Gallia choreæ modestiores, non ita libidinem excitantes, a diebus Dominicis ac Festis arcentur, quid censendum de nostris Germaniæ & maxime Baviaræ choreis, quæ non sine summa agitatione ac robustissima compressione corporum ac manuum copiosum inter sudorem fiunt, & ex instituto diebus Dominicis ac Festis celebrantur? Quid judicandum de tributis, quæ capones Principi pendere tenentur ob privilegium, vi cujus coraulas conducere & ad choreas provocare permittuntur? Quid! si quandoque viri etiam Ecclesiastici ad choreas compareant, quos mane po-

pu-

pulus in cathedra aut ad aram stantes cernebat? Quis jam absoluta re Divina discernet Festa Christianorum, & Festa paganorum?

CASUS VI. Hugolinus Pharmacopola diebus Dominicis ac festis præparat pharmaca & unguenta pridie petita. Tapedarius ornat Ecclesias. Coquus in sua domo parat ac vendit cibos.

ꝑ. Hujusmodi opera servilia in hisce tribus casibus sunt licita; & hinc absque peccato fiunt. Excipienda tamen sunt ab hac regula generali quædam Festa solemnia, in quibus ipsa statuta artium hujusmodi opificibus laborem interdicunt. S. Thomas *opusc.* 4. de 3. *præc.* hanc doctrinam exemplis Scripturæ confirmat. *Sciendum*, ait, *quod opera corporalia possunt fieri in sabbato propter quatuor. Primo propter necessitatem, unde Dominus excusavit discipulos evellentes spicas in Sabbato, ut dicitur Matth. 12. Secundo propter utilitatem, unde dicitur in Evangelio Matth. 12. quod Sacerdotes faciebant omnia, quæ erant necessaria in templo in die Sabbati. Tertio propter proximi utilitatem, unde Dominus curavit in die Sabbati habentem manum aridam, & confutavit Judæos reprehendentes eum, ponens exemplum de ove Matth. 12. Quarto propter Superioris auctoritatem, unde Dominus præcepit Judæis, ut circumciderent in die Sabbati, ut dicitur Joan. 7. Pontas.*

CASUS VII. Judas Chyrurgus & Barbitonsor solet adventantibus radere barbam diebus Dominicis & festis. Parochus loci, cui confessus est tempore Paschali, propterea ei denegat absolutionem, cum nollet promittere, se in posterum hunc laborem omitturum. Barbitonsor igitur accedit Vicarium, eique exponit rationes, quas jam Parocho exposuerat 1. Quod in eadem Urbe dentur adhuc duo alii Barbitonfores, qui idem faciunt; & qui proin omne hoc lucrum ad se avocarent, sic ut ipse brevi non amplius posset sustentare familiam suam. 2. Quod Rustici ex vicinis pagis tantum veniant ad radendam barbam diebus Dominicis & festis, cum aliis diebus labore sint dissenti pro vitæ sustentatione. 3. Quod multi famuli & Operarii in urbe difficillime aliis diebus invenirent tempus pro rasura. 4. Quod ubique locorum vigeat consuetudo hisce diebus radendi, laborque iste sit necessarius pro bono publico. 5. Denique, quod Episcopi ac Judices Politici id sciant ac tolerant.

ꝑ. Regulariter loquendo Barbitonfores non possunt absque peccato radere barbam diebus Dominicis ac festis. Nihilominus si Vicarius persuasus sit, Judam absque hoc labor incursum evidens periculum amittendi sustentationem, po-

M m 2

tel

test eum absolvere, sub conditione tamen, ne radat sub Officio divino, & in Festis solemnioribus. Secunda ac tertia ratio sunt satis graves, ut ejusmodi tonfores possint excusari a peccato. Quoad reliquas rationes optandum quidem esset, ut Magistratus tam Ecclesiastici quam Civiles conjunctis animis abolerent hanc consuetudinem, aut illi saltem legem præscriberent ac ordinem; quod tamen vix sperari potest. Hinc Vicarius absolvendo Judam exigat ab eo, ut promittat, se exacte servaturum leges desuper forte ferendas.

Pontas.

CASUS VIII. Brixius pistor solet diebus Dominicis ac festis coquere ac vendere delicatius quoddam genus panis, quod non servit ad necessitatem, sed tantum ad delicias

ꝑ. Non potest absque peccato coquere aut vendere hujusmodi panes præcise ex intentione serviendi aliorum voluptati ac sensualitati ementium; quia talis intentio foret mala intrinsece. Poterit tamen eos vendere pro necessitate proximi, præsertim infirmorum, debillium, aut senum. Item hoc licite facit ob necessitatem propriam, si perderet commercium, sicque amitteret media sustentationis pro se ac sua familia, nisi his diebus panem molliorem coqueret. Si nihil horum urgeat Brixium, non potest excusari a peccato. *Pontas.*

CASUS IX. Riculcus Cupediarius Parisiis laborat, suumque exercet commercium diebus Dominicis ac festis, sicut reliqui omnes, qui ejusdem sunt professionis.

ꝑ. Non potest excusari a peccato, nisi eum ad hoc impellat justa propriam sustentationem quærendi necessitas; quia agit contra statuta artis, recepta ab omnibus, qui eandem artem profitentur. Aliud dicendum, si coquendus foret panis dulciarius pro infirmo, aut benedicendus pro Ecclesia. *Pontas.*

Vide *Cas.* 7.

CASUS X. Leobardus futor eadem hebdomada rogatur a decem personis, ut ad sequentem Dominicam illis conficeret calceos. Non potuit autem eos absolvere ante horam tertiam matutinam Dominicæ.

ꝑ. Non potuit id facere absque peccato, nisi juste timere potuisset, si in hoc deficeret, commercium suum collapsurum sicque necessaria sustentationis media sibi defutura; id quod probabile non est. Imo & in hoc casu labor iste fieri deberet in secreto, & sine scandalo, saltemque Missa audienda. Idem dicendum de sartoribus, & aliis hujusmodi opificibus. *Pontas.*

CA-

CASUS XI. Benjamin minutarum mercium propola diebus Dominicis ac festis ante Ecclesiarum portas vendere solet libellos precatorios, rosaria, numismata, imagines, pectines, aliaque similia.

ꝑ. Regulariter loquendo commercium hoc est illicitum. Neque tamen censeo, tanta severitate pronuntiandum esse contra Benjaminum, dummodo assistat Officio Divino, & nisi hoc commercium in aliqua Diœcesi expresse sit prohibitum. Hinc pia adhortatione contentus sit Confessarius, quin absolutio tali deneganda sit.

CASUS XII. Incolæ cujusdam pagi, quorum omnes redditus consistunt in negotiatione vini, recipiunt diebus Dominicis ac festis emptores vini, quod gustandum offerunt, ac paciscuntur de pretio cum iis. Parochus loci autem iis minatur denegationem absolutionis, nisi desistant ab hac consuetudine.

ꝑ. Si emptores adducere non possunt, ut aliis diebus veniant ad emendum vinum, aut alias vinum eorum maneret inemptum eo tempore, quo maxime indigerent pecunia, non sunt condemnandi de peccato, multo minus mortali. Hinc Parochus non potest ipsis absolutionem denegare. *Pontas.*

CASUS XIII. Rogatianus paterfamilias habet duos filios jam adultos, qui diebus Dominicis ac festis patre inconsulto laborant in vineis, aliaque opera peragunt servilia.

ꝑ. Reddit se participem peccati filiorum suorum, nisi omnem suam auctoritatem adhibeat ad eos impediendos a transgressione præcepti divini; ad id enim expresse tenetur. *Pontas.*

CASUS XIV. Gifelanus agricola habet duos pastores pecorum suorum, qui alternis tantum vicibus audiunt Missam diebus Dominicis ac festis, alterutro semper in custodia gregum detento.

ꝑ. Peccat Gifelanus, maxime & peccato graviori, si in Parochia habeantur duæ Missæ, eosque non compellat, ut unus primam, alter audiat secundam Missam. Obligatio mittendi domesticos ad Missam & catecheses, ut mysteria fidei ac officia Religionis edoceantur, adeo indispensabiliter necessaria habita est a D. Paulo, ut eos, qui domesticorum suorum curam non habent, nomine Christiano indignos, & ipsis infidelibus deteriores judicaverit. Et hæc ipsa ratio est, ex qua S. Carolus Borromæus in Instruktionibus Confessariorum absque absolutione dimittendos voluit, qui ejusmodi peccati sese reos constituerint. *Pontas.*

M m 3

CA-

NOTA. Responso hæc, cui relate ad pastores pecorum nec ex D. Paulo nec ex S. Carolo robur accedit, ut in nostris regionibus in praxin deducatur, moraliter vix possibile est: ruri enim in pagis haud plures conducuntur pastores, quam ad custodiam græcum absolute necessarii sunt. Hi per ætatem etiam diebus Dominicis ac Festis greges sub ortum solis ad pascua ducunt quandoque valde diffusa, & sub occasum solis reducunt, eorumque præsentia ad greges, ne damnum inferant, aberrant aut abigantur, adeo necessaria, ut per diem nec pro capiendo cibo redire domum liceat. Hinc FERRARIS in *Biblioth. V. Missæ Sacrificium. art. 6.* inter excusatos ab obligatione audiendi Missam *ex communi Doctorum* recenset etiam pastores pecorum, *si non habeant alios, quos ad custodiam gregum relinquunt, nec possint diversis horis & alternis vicibus omnes Sacra interesse; quum hæc sit mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ & benignæ matris, nolentis obligare cum tanto rigore.* Insigne quidem pietatis opus foret, si Communitates ipsæ, maxime in locis, ubi plures Missæ dicuntur, ex suis alternatim quospiam seligerent, qui audita Missa matutina pastorum loco gregibus invigilarent, ut hi saltem quandoque Missæ parochiali & concioni aut catechesi interesse possent; sed utrum alicubi fiat, mihi non constat. Parochorum certe ac Confessoriorum est, sedulo hortari pastores gregum ut his diebus sæpius ruri mentem ad Deum elevent, ipsique actus latræ exhibeant per exercitium fidei, spei & charitatis, precibus vacent, & dum corpore non possunt, saltem corde rei Divinæ adsistant.

CASUS XV. Gaucherius Judex criminalis, cum in vigilia Nativitatis Christi furtum in domo cujusdam civis commissum ad iudicium suum delatum esset, sequentibus diebus festis fecit inquisitionem judiciariam, interrogavit reos, excepit depositionem testium, & formavit alios actus judiciales.

ꝑ. Si hæc fecit urgente necessitate, aut ex motivo charitatis, excusari potest a peccato: sententiam tamen hisce diebus pronunciare haud licet. Lege 7. Cod. de Feriis omnibus ministris justitiæ sub pœna confiscationis bonorum prohibitum est tali die facere citationem judicalem, etiam propter delictum publicum. In Gallia Ludovicus M. per constitutionem de 10. Febr. 1661. sub pœna multæ pecuniariæ 3000. librarum his diebus sacris prohibet fieri ullam executionem sententiarum aut edictorum, etiam si ageretur de pecunia regia. *Pontas.*

CASUS XVI. Crysanthus Advocatus, & Reginaldus Procurator diebus Dominicis ac festis conficiunt scripturas, instituant consultationes, audiunt clientes, occupant etiam suos Scribas in describendis actis.

ꝑ. Hic labor Advocatorum & Procuratorum non potest numerari inter opera servilija. Possunt itaque sic laborare, imo

imo etiam salarium pro ejusmodi labore recipere: tenentur tamen assistere Officiis divinis, si id commode fieri potest. Hinc non potest ipsis delegari absolutio, quamdiu ab hoc labore abstinent tempore Officii Divini. Possunt concurrere quædam circumstantiæ, ut etiam sub Officio divino hujusmodi labori vacare ipsis liceat, si nempe urgeat necessitas, aut id suadeat pietas. *Pontas.*

NOTA. Absque violatione præcepti sanctificandi diem sabbati potest quis diebus Dominicis ac Festis ad acquirendam majorem in arte vel scientia perfectionem legere, studere, scribere, item docere alios, consilia dare vel cum aliis intrare. Professores artium & scientiarum possunt præparare suas lectiones. Architecti, pictores, sculptores, phrygiones, ac tignarii possunt delineare in charta conceptus suos solum exercitii causa, vel ut magis in arte sese perficiant: hæc enim omnia non tam referuntur inter opera manualia, quam inter partus ingenii, qui ope studii efformantur, & consequenter nequam ad opera servilia pertinent. Siquis tamen ita & tamdiu se applicaret his exercitiis, ut negligeret Officia Ecclesiastica, servitium Divinum, aut opera pietatis, a peccato excusari non potest. C. D.

CASUS XVII. Herennius Notarius diebus Dominicis ac festis sæpius vocatur ad conventum publicum in pago, in quo commoratur, ad conficienda instrumenta, vel ad infirmos pro condendis testamentis, aut ad personas privatas pro conscribendis contractibus matrimonialibus.

ꝑ. Non est arguendus de peccato, maxime si urgente necessitate aut ex motivo charitatis hunc laborem suscipiat: licet regulariter loquendo non liceat Notariis hisce diebus conscribere Acta, exceptis testamentis & contractibus nuptialibus. *Pontas.*

CASUS XVIII. Mutius abstulit Demophilo viginti aureos die Dominico aut festo.

ꝑ. Non datur absoluta necessitas hanc circumstantiam declarandi in confessione, et si melius foret. *Magis, inquit TOSTATUS in c. 20. Exod. q. II. & 12., celebritatem Festi infringimus in peccando, ut fornicando & occidendo, quam alios labores agricultivos nostris manibus exercendo. Ideo, licet ab utroque abstinendum sit, magis tamen ab iniquis operibus quam a corporalibus laboribus. . . . Ex hoc sequitur, quod qui die Dominica adulteratur aut occidit, vel inebriatur, magis peccat, quam si aliis diebus idem ageret; quia sic transgressor est duplicis præcepti, scilicet non occides, aut cuiuslibet alterius, & hujus scilicet, quia non observat diem Sabbati, id est, diem Dominicam. Ex hoc textu inferri potest, circumstantiam diei exprimendam esse in confessione circa peccata specialiter*

opposita sanctitati temporis, ut est ebrietas & peccata longioris durationis v. g. impudicæ conversationes aut lectiones obscenæ; imo saltem convenientissime id requiri posse circa omnia alia peccata. Neque id adeo difficile accidit etiam in confessionibus generalibus: sufficit enim exposita classe peccatorum interrogare pœnitentem, utrum hæc peccata indiscriminatum quolibet die, sive festo sive non festo commiserit. *Pontas.*

Vide *Festa.*

DONATIO.

1. Donatio est *Doni gratuita collatio*. Alia donatio est completa, & alia incompleta: *completa est*, quæ transfert dominium rei donatæ in donatarium; *incompleta*, quæ fit tantum verbis sine actuali traditione rei. Alia est *inter vivos*, alia *mortis causa*. Per primam donans adhuc in vita ac bona validudine cedit dominium rei donatæ donatario. Dicitur: *in bona valetudine*; quia juxta consuetudinem Parisiensem omnis Donatio etiam inter vivos, facta tempore ægritudinis, ex qua Donator decedit, habetur instar Donationis mortis causa, quibuscumque demum verbis fuerit concepta. Idem insigniores Galliæ jurisperiti sentiunt de quavis Donatione inter vivos, facta in mortis periculo evidenti ac vix evitabili v. g. imminente naufragio. Altera Donatio est, quæ fit intuitu mortis, & per hanc Donator non transfert dominium rei donatæ nisi pro eo momento, quo vita excefferit. Hæc Donatio in triplici casu effectu suo destituitur: *primo* si Donator factæ Donationis pœnitentia ductus eam revocat, *secundo* si donatarius e vivis excedat ante Donatorem; *tertio* si Donatori facta Donatione nascatur proles legitima; & in hoc tertio casu Donatio est ipso jure nulla, etsi revocata non fuerit.

2. Utraque Donatio, & *inter vivos* & *mortis causa* viget etiam in Gallia; id tamen ibi peculiare habet posterior, quod fieri non possit, nisi per testamenta. Quod attinet Donationem *inter vivos*, ea perfecta non est, nisi tam donans ad donandum, quam donatarius sit habilis ad acceptandum, simulque concurrant formalitates a legibus & consuetudine requisitæ. Sic donare non potest furdus & mutus a nativitate, furiosus, amens, aut lege prohibitus, nec Donationem acceptare condemnatus ad mortem, perpetuo relegatus ad triremes aut in exilium extra regnum. Quoad ætatem requisitam inspicienda est cujuslibet loci consuetudo. Neesse insu-

per

per est, ut donatarius acceptet Donationem sibi factam; licet Parlamenta *Tolosanum* & *Burdigalense* quoad hoc non observent edicta *Francisci I.* & *Henrici II.* *Insinuatio* apud Judicem est de essentia Donationis; sufficit autem, dummodo facta sit vivente Donatore. Traditio rei donatæ pariter in quodam sensu est absolute necessaria; & si donans manet in possessione rei, gaudet tantum usufructu, cum proprietatem rei jam transtulerit in alium.

3. Datur adhuc alia Donatio *inter virum & uxorem*, quæ vocatur *donum mutuum*: Donatio hæc potest fieri vel in ipso contractu matrimoniali, vel post contractum matrimonium. Illa quæ fit per ipsum contractum, potest fieri absolute & irrevocabiliter; executionem autem non sortitur, nisi primum interveniente morte alterutrius conjugum. Secundum consuetudinem Parisiensem per Donationem constante matrimonio factam tantum transfertur usus fructus rei in donatarium, quoadusque vixerit, qui & tenetur præstare sufficientem cautionem pro securitate rei donatæ, ita quidem, ut nec ipsi contrahentes hanc præstandæ cautionis obligationem sibi invicem possint remittere. Ubi viget ista consuetudo, ut per Donationem mutuum inter conjuges tantum transferatur usufructus, donatarius superstes debet conficere authenticum inventarium rerum donatarum; & ejusmodi consuetudines habent vim legis, obligantque tam in foro interno, quam contentioso.

4. Dona mutua, cum sint reciproce utilia, fieri possunt etiam a minorennibus; quatuor tamen ad valorem eorum conditiones requiruntur: 1. ut & interveniente morte alterutrius non relinquatur proles sive ex hoc, sive ex præcedente matrimonio. 2. Ut tempore mutue Donationis uterque contrahens bona fruatur valetudine. 3. Ut vi consuetudinis Parisiis aliisque locis introductæ sit æqualitas inter Donationes mutuo factas. 4. Ut insinuatio factæ Donationis fiat tempore a legibus præscripto.

5. Quæ circa Donationes factas a parentibus in favorem liberorum notanda, patet in decursu hujus articuli.

CASUS I. Magdalena morti proxima volens donare marito suo mille florenos per modum fideicommissi, cum alio modo donare non posset vi consuetudinis Parisiis introductæ, cui insistere debet, legat hanc summam cuidam personæ admodum familiari cum obligatione, ut quamprimum eam acceperit, marito superstiti tradat.

3. Non potest hanc summam donare marito; quia consuetudo, cui se quisque conformare tenetur, prohibet talem Donationem, sub quocumque demum prætextu fiat. Indubitatum est, legitimam consuetudinem habere vim legis, leges civiles obligare in conscientia, habitaque ratione boni publici iis absolute morem gerendum, et si quandoque patiat bonum privatorum. Hinc nec pius in bene meritum affectus, nec provocatio ad legem naturalem, nec exemplum aliorum, nec diversa consuetudo aliarum provinciarum, nec demum suggestiones advocatorum aut Notariorum huic Magdalenæ patrocinantur consilio. *Pontas.*

Nota. Hic supponitur, leges Civiles præsertim Monarchæ, aut Statuum, dispositivas circa dominium bonorum mobilium vel immobilium, in foro externo Iustas, etiam esse obligatorias in foro interno. Attendendum ad sensum Doctorum & praxin notoriam cujusque provinciæ.

CASUS II. Antoninus mercator Parisiensis periculose admodum decumbens labores & industriam uxoris suæ sibi impensam compensare cupiebat: cum autem numerata pecunia deesset uxori donanda *brevi manu*, fingit mutuum 500. florenorum sibi ab amico jam antea datum, qui etiam contractu cum Antonino inito non solum promisit, hanc summam se daturum uxori, sed eam post mortem mariti actu tradidit.

3. Uxor in conscientia tenetur hanc summam restituere hæredibus mariti; quascumque enim rationes alleget, non poterit eam retinere titulo remunerationis. *Pontas.*

CASUS III. Agoardus habitans in pago quodam prope Remos in mortis articulo constitutus uxori suæ, ex qua prolem non habebat, viva voce quadringentos, quos habet, florenos donat.

3. Uxor summam sibi donatam potest retinere, cum juxta consuetudinem Remis receptam inter conjuges possint ejusmodi Donationes fieri tam inter vivos, quam mortis causa. *Pontas.*

CASUS IV. Eudoxia prole carens in articulo mortis donat marito suo quædam mobilia ad se spectantia, quorum pretium 1500. florenos adæquabat.

3. Si maritus versatur in loco, ubi receptum est Jus scriptum, potest retinere hæc mobilia; si vero degat in regione, in qua vivet jus consuetudinarium, non potest retinere, ni & ibi id usu receptum sit. Viget non nullis in locis ea consuetudo, ut maritus possit donare uxori, non autem uxor marito. *Pontas.*

CASUS V. Marcellina ex marito suo defuncto habens duos liberos adhuc vivos, quatuor aut quinque mensibus post ejus mortem nupta est alteri, ex quo pariter suscepit duos liberos. Primus maritus per contractum matrimoniallem ei donaverat mille Imperiales. An retinet horum dominium, sic ut possit pro suo arbitrio de iis disponere vendendo aut donando inter vivos vel mortis causa post obitum secundi mariti?

3. Si Marcellina degit in provincia, ubi viget jus scriptum, incurrit omnes pœnas latis a legibus Romanis in viudas intra annum luctus transeuntes ad secundas nuptias; & consequenter etiam excidit jure domini in donationem a primo marito sibi factam. Si vero degit in provincia, ubi jus consuetudinarium receptum est, non quidem absolute eo jure spoliatur ratione secundarum nuptiarum, sed illud tantum possidet ac retinet in favorem liberorum ex primo matrimonio, quibus servare tenetur donationem sibi factam a primo marito, quin possit eam alienare donando, vendendo, aut quovis alio modo. *Pontas.*

CASUS VI. Audomarus oppido dives amico suo beneficium se exhibiturus domum eidem donat 3000. florenis æstimatam per donationem inter vivos; sed id hæredibus suis celaturus donationem non insinuat, formalitatem hanc non absolute necessariam ratus. Interea post annum moritur Audomarus in loco valde distito, & donatarius exhibet actum donationis, petitque domum aut ejusdem valorem. Utrumque recusat hæres, donationem nullam esse asserens ex defectu insinuationis. Amicus autem Audomari utitur compensatione, non solvendo occultum debitum valori domus æquivalens.

3. Tuta conscientia non potest uti compensatione, cum donatio sit nulla: leges enim Romanæ, quibus & Gallicæ se conformarunt, absolute exigunt, ut donationes inter vivos insinuentur, seu in acta publica referantur. *Pontas.*

Vide *Insinuatio* cas. i.

CASUS VII. Guarinus improlis militiæ se adscribit sub legione quadam: cum jam per octo aut decem annos abesset, uxorque nil comperisset, quid ageretur circa illum, obtinet tandem authenticum testimonium subscriptum a Capitaneo & quatuor aliis militibus ejusdem turmæ, in qua merebatur stipendia Guarinus, quod ante tres annos jam occubuerit in conflictu quodam. Uxor de veritate rei haud dubitans transit ad secundas nuptias, & cum nec ex altero marito per plures annos prolem haberet, paciscitur cum eo per

per donationem mutuam de usufructu rei donatæ, quo altero conjugum præmortuo superstes gauderet. Marito hoc secundo præmortuo uxor capit usum fructum rei donatæ; sed interea redit Guarinus, qui falso occubuisse credebatur, & repetit uxorem suam; simulque hæredes secundi mariti eam possessione conventionis matrimonialis & usufructu rei donatæ exturbare conantur.

ꝛ. Absque ulla iniustitia uxor potest hæredibus sese opponere & manutationem in sua possessione persequi; constat enim, quod bona fide egerit, & non nisi adhibitis debitis præcautionibus ad secundas nuptias transierit. *Pontas.*

CASUS VIII. Eusebius donat domum suam nepoti, instrumento ab utroque ac insuper ab uno Notario subscripto. Juxta legem autem subscribere debuissent duo Notarii, aut in alterutrius defectu duo testes.

ꝛ. Contractus iste nullus est tam pro foro interno quam externo: iustæ enim leges Principum juxta Apostolum Rom. 13. obligant in conscientia. Cum autem leges irritent contractus donationis non subscriptos etiam a secundo Notario aut duobus testibus, actus donationis factæ ab Eusebio non nisi pro nuda molitione habendus absque ullo effectu. *Pontas.*

CASUS IX. Plutarchus fecit donationem inter vivos sanguineos. Cum autem post sex menses contraxisset matrimonium, & prolem suscepisset, petit ac impetrat a iudice revocationem donationis.

ꝛ. Tuta conscientia possessionem bonorum donatorum repetere potest. Omnis donatio, inter vivos etiam perfecta & acceptata potest revocari, si donatori proles nascatur. Dispositio hæc legis Romanæ adeo conformis est principiis pietatis ac æquitatis naturalis, ut etiam per universam Galliam usu recepta sit, ne quidem illis provinciis exceptis, in quibus jus consuetudinarium obtinet. Lex hæc licet prudentissima variis tamen subin difficultatibus fuit obnoxia, quas sustulit lex recentior de anno 1731., quæ art. 39. statuit, omnes in Gallia donationes inter vivos factas ab iis, quibus tempore donationis liberi aut descendentes actu viventes non erant, cujuscumque valoris possint esse, quocumque nitantur titulo, etiam mutuas, remuneratorias, aut in favorem matrimonii factas pleno jure irritas esse, si donatori superveniat proles legitima, etiam posthuma, aut naturalis legitimata tamen per subsequens matrimonium. *Pontas.*

CASUS X. Paulus plusquam sexagenarius, viduus, & absque liberis, nec ad secundas nuptias transire cogitans omnia bona sua donat cognato suo, donationemque debite infinuat. Post biennium contrahit matrimonium, ex quo suscipit prolem, quæ tamen post sex menses obiit.

ꝛ. Cum donatio per nativitatem proles semper reddatur nulla, donatarius nullum amplius aquirit jus per mortem proles. Vi constitutionis de anno 1731. art. 43. donationes semel revocatæ nunquam reviviscunt, aut de novo effectum consequuntur, sive dein donatori proles obierit, sive alius actus confirmatorius intervenerit. *Pontas.*

CASUS XI. Procopius & uxor ejus cum extra spem prolem obtinendi constitutos se cernerent, duas Procopius bonorum suorum tertias donavit Ecclesiæ, & Hospitali. Verum post octo menses ipsi proles nascitur.

ꝛ. Donatio hæc non potest subsistere. Communis olim opinio erat, donationem factam Clerico pro titulo clericali, cum destinaretur ad sustentationem hominis divino servitio alligati, nec revocari nec reduci posse, etiam donatori proles nata fuerit, dummodo donatio non notabiliter excesserit id, quod per statuta diocesana ad titulum requiritur. Verum memorata constitutio de anno 1731. art. 39. adeo expressis verbis concepta est, ut nec in hoc casu locus esse videatur exceptioni. Idem dicendum de omnibus donationibus in causas pias, Ecclesias & hospitalia factis, quæ & ipsæ vi præfatæ legis videntur revocari posse; paternus enim amor & iustitia in liberos prævalere debet charitati erga externos. *Pontas.*

CASUS XII. Trithemius civis Lugdunensis filio suo quindecim annos nato & adhuc sub patria potestate constituto donatione inter vivos donavit mille florenos.

ꝛ. Generaliter loquendo Trithemius non potuit facere filio hanc donationem, nisi eam prius emancipandum curet. Ratio est; quia filius in hoc statu una eademque persona cum patre reputatur, nihilque pro se ipso acquirere potest, sed quicquid aquirit, patri suo aquirit. Dantur tamen casus, in quibus valida est ejusmodi donatio Patris erga filium, v. g. si re donata filius indiget ad sustentationem aut alia necessaria vitæ subsidia, si donatio sit ex bonis adventitiis, si filius militiam sequatur, aut si donatio fiat pro constituenda dote. *Pontas.*

CASUS XIII. Quintilianus amico cuidam donavit fundum 250. florenorum redditus proferentem, seque hoc facere asseruit in recognitionem servitorum ab eo in quodam nego-

negotio sibi exhibitorum : donatio fuit acceptata ; sed donator paulo post moritur. Hæredes defuncti litem movent donatario super re donata, probantque, nullum unquam ab eo servitium Quintiliano fuisse præstitum.

ꝑ. Injuste & absque sufficienti fundamento ipsi litem movent hæredes, eo ipso, quod donatio non fuerit facta sub aliqua conditione.

CASUS XIV. Proterius titulo amicitiae & gratitudinis Mederico coram duobus Notariis donavit fundum 150. florenos proferentem, qui id rescians in præsentia Mauriti filii sui & hæredis unici declarat Proterio, se non acceptare donationem. Cum autem Medericus post mensem moreretur, Mauriti filius acceptat donationem, petitque traditionem rei donatæ.

ꝑ. Absque omni jure petit : non potest enim juxta legem liberalitas nolenti acquiri, & invito beneficium non datur, ac denique juxta aliam legem, quæ loquitur de donatore absente, si nescit rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donatæ rei dominus non fit. Consequenter cum Medericus non adquisierit jus ad oblatam, sed non acceptatam donationem, nec ejus filius ac hæres potuit acquirere. Pontas.

CASUS XV. Memmius civis Parisiensis ditissimus tres filios, totidemque numerat filias. Primis quatuor liberis tantum donavit, ut reliquis duobus post mortem ipsius non amplius remaneret legitima.

ꝑ. Consuetudo hodierna est, ut diminuantur posteriores donationes, quin subtrahatur quidpiam a prioribus. Pontas.

CASUS XVI. Aristides fecit donationem inter vivos Hieronymo.

ꝑ. Si Aristides est filiusfamilias, non potest donare bona, quæ dicuntur adventitia & profectitia, potest tamen donare castrensia & quasi-castrensia. Si est minorennis, donatio est nulla, nisi eam post obtentam majorennitatem ratam habuerit. Si est Pupillus, autoritas tutoris aut curatoris accedat necesse est. Si est Religiosus, absolute nulla est donatio. Nulla pariter est donatio uxoris, quæ non nisi bona habet dotalia, si donatio fiat absque consensu mariti. Pontas.

CASUS XVII. Sidronicus donavit Æmilio domum censum 600. florenorum proferentem. Exorta postmodum inter eos contentione, Æmilius etiam verberibus incessit Sidronicum.

ꝑ.

ꝑ. In posito casu Sidronicus potest revocare donationem, si non fuit remuneratoria. Si donans dissimulavit ingratitudinem donatarii, jus revocandi donationem non transit ad hæredes donatoris. Gregorius IX. est ejusdem opinionis, qui & recenset quatuor species ingratitudinis, ex quibus possit revocari donatio : propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam potuit revocare ; si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumperit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores. Jurisprudentia Gallicana est prorsus conformis quoad hoc Juri Civili ac Canonico. Pontas.

CASUS XVIII. Jason Advocatus Parisiensis donavit omnia bona sua Palladio, & solum sibi reservavit jus disponendi de 5000. florenis pro libitu, adjecta tamen clausula, ut, si de hac summa nihil disposuerit, ea cedat Palladio. Jason tribus a facta donatione mensibus moritur, quin disposuisset de reservata sibi summa.

ꝑ. Juxta consuetudinem, quæ viget Parisiis & in pluribus aliis locis, hæc summa non pertinet ad Palladium ; sed ad legitimos Jasonis hæredes. Ratio est ; quia donare & retinere non convenit. Jason autem donaret rem, & per adjectam clausulam simul expresse sibi reservaret, id quod in donatione inter vivos fieri non potest. Pontas.

CASUS XIX. Pontianus donavit Judæ horologium aureum, quod inter bona hæreditaria Patris sui repererat : Gerardus, qui horologium hoc apud patrem Pontiani deposuerat, post mensem videt illud apud Judam, repetit, restitutionemque illius demum evincit apud Judicem, causatis exinde Judæ impensis.

ꝑ. Si Pontianus bona fide Judæ donavit horologium, ad nihil ipsi tenetur, nec Judas eum coram Judice desuper convenire potest. Pontas.

CASUS XX. Guilielmus mutuos dedit 150. florenos Feliciano, dixitque in præsentia Rollandi, se non petere chirographum, sed velle, ut post mortem suam hæc summa donaretur Bertino. Paulo post Feliciano ineundæ rationes erant cum Guilielmo de commercio, quod cum ipso habuerat, & in scriptura rationum declarat, se adhuc debere Guilielmo 75. florenos de 150., quod mutuos acceperat Guilielmus scripturam hanc projecit inter alia scripta, & moritur. Rollandus, qui constitutus erat ad disquirenda & annotanda scripta defuncti, inter alia reperit etiam hanc computationem.

tatio-

tationem a Feliciano cum Guilielmo initam, eamque reddit Feliciano, monens, ut 75. florenos, quos deberet adhuc Guilielmo, solvat Bertino, & sic claudit inventarium.

ꝑ. Rollandus non potuit sic agere, & computatio hæc debuisset indicari in inventario. Hinc Felicianus non potest memoratos 75. florenos solvere Bertino, sed debet eos adjicere inventario etiam jam clauso, ut sic deveniant ad hæredes Guilielmi. Rollandus debuisset præsumere, Guilielmu mutasse voluntatem suam; quia inita cum Feliciano computatione acceptavit non solum dimidiam partem summæ capitalis mutuo datæ, sed etiam syngrapham de altera parte dimidia adhuc solvenda. *Pontas.*

CASUS XXI. Mathurinus propinquus Petri & Mariæ, utrique necessariam sustentationem procuraturus, emit Petro pro 750. florenis jus barbitonsoris, hac tamen conditione, ut recordetur, id se habere ex beneficentia & liberalitate Mathurini, & ut Mariæ sorori suæ singulis annis, dum viveret, solvat 50. florenos; quod si foret in mora culpabili quoad solutionem hujus summæ, jus rediret ad Mathurinum: Petrus in omnia consentit, & sic coram Notario perficitur contractus.

ꝑ. In hac conventionione, quæ est species donationis conditionatæ, nec usura intercedit, nec iniustitia; quia pensio annua Mariæ solvenda est tantum vitalitia, id quod viduis frequentissimum est, quæ sua privilegia pro summa pecuniæ cedunt aliis, & desuper cum iis paciscuntur. *Pontas.*

CASUS XXII. Gualbertus Clericus gaudens redditibus 500. florenorum ex Abbacia quadam, & præter hos non habens proventus alios, anhuatim, idque per quatuor jam annos, donat 500. florenos nepoti suo studioso, cui parens licet ditissimus non subministrat pro recreatione statum concedente necessaria subsidia.

ꝑ. Peccat graviter Gualbertus hac sua in nepotem liberalitate; quia sic bona sacra ac destinata ad sublevamen pauperum vertit in usum mere profanos ac voluptuarios. Accedit, quod hæc liberalitas adolescenti ansam præbere possit ad liberiores vitæ licentiam. *Pontas.*

CASUS XXIII. Benedicta uxor Senatoris in Parlamento Parisiensi, ac Parisiis commorans cum ipso, & ibi & Pictavii habet bona notabilia: ut suum erga maritum affectum monstraret, per donationem inter vivos ipsi bona sua immobilia donat & acquisita & aliunde parta, una cum tertia parte bonorum priorum Pictavii sitorum, ut iis gaudeat cum jure proprietatis tam ipse quam hæredes ipsius.

ꝑ.

ꝑ. In hac re recurrendum est ad jus consuetudinarium, illique insistendum tam pro foro externo quam interno. Donatio Benedictæ valida est circa bona Pictavii existentia secundum consuetudinem in hac provincia vigentem; non autem est valida circa bona sita in territorio Parisiensi, quia ibi viget consuetudo contraria. *Pontas.*

CASUS XXIV. Bomericus & Celigna degentes Parisiis solenniter sponsalia celebrarunt in præsentia Parochi, & utriusque consanguineorum. Paulo post Celigna in recognitionem donationis 1000. florenorum a Bomerio sibi factæ simile illi donum parat per instrumentum donationis separatum a contractu matrimoniali, subscriptum a se, a Bomerio, & duobus Notariis.

ꝑ. Hæc secunda donatio non est legitima, non fuit facta in præsentia consanguineorum, qui assisterunt contractui matrimoniali. *Pontas.*

CASUS XXV. Balthasar civis Parisiensis admodum locuples, cum vellet sibi donationem fieri ab uxore sua, quam intra octiduum morituram prævidebat, eam sollicitat ad venditionem prædii, quod commune habebant, ut sic ipse pretium ferat, cum uxori vi consuetudinis non liceat per testamentum ejusmodi donationem facere. Uxor consentit, prædium venditur, & maritus recipit pretium exinde redactum 3000. florenos. Cum autem haud diu post uxor moreretur, hæredes collaterales litem movent marito, qui e contrario jure sibi deberi pretium venditionis tuetur.

ꝑ. Juxta consuetudinem Parisiensem jus favet hæredibus, cum venditio prædii non sit facta bona fide. *Pontas.*

CASUS XXVI. Aquilinus & Paulina Parisiis commorantes matrimonio tradunt filiam suam, & in contractu paciscuntur, ut intuitu donationis, quam simul & æqualiter in antecessum hæreditatis pro ratione status & conditionis faciunt filiæ, necessitatibus rei domesticæ consulturi, superstes ex iis gaudeat ad dies vitæ bonis immobilibus constante matrimonio acquisitis, non tamen iis, quæ prius decedens ante contractum matrimonium acquisivit, ita quidem, ut nec filia nec maritus ipsius eos obligare possit ad consiciendum inventarium bonorum a prius decedente relictorum, aut rationem de iis reddendam.

ꝑ. Ut hæc reservatio sit valida & conformis consuetudini Parisiensi, necesse est 1. Ut alterutro primum decedente superstes tantum gaudeat bonis mobilibus, & immobilibus quidem, sed solum constante matrimonio partis. 2. Ut hæc conventio terminis expressis fiat in ipso contractu matrimoniali. *Diff. Cas. Conf. Tom. I. N 2 timo.*